



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

PSALMUS LXVIII.

Titulus : *In finem pro iis, qui commutabuntur David. Vide Ps. 44.*

Argumentum est predictio passionis Christi, everfionis Iudaorum, adificationis Ecclesia, quæ constat ex iis, qui feliciter commutabuntur de iniquitate ad justitiam, & de miseriâ temporali ad gloriam æternam.

¶ 1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

¶ 2. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.*

¶ 3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Evangelistæ non multùm loquuntur de vehementiâ dolorum Christi; sed tantùm declarant, passionem voluntariam fuisse, & constantissimè ab eo toleratam. De magnitudine dolorum Prophetæ agunt Isaias, Jeremias, maximè David, & quidem per varias similitudines.

Salvum me fac : salutem à Deo Patre petit, non animæ, cùm beatitudinem amittere non posset; sed corporis, nec absolutè, sed ut ostendat vim dolorum, & naturalem mortis horrorem, *Quoniam intraverunt &c.* factus sum similis ei, qui projectus in aquas, eas sentit ad vitalia penetrare, ut jam respirare, & vivere non liceat.

liceat. Nec solum projectus sum in aquas, sed in limosas, sine fundo, ut subsistere non liceat. Nec tantum projectus sum in parvum gurgitem, sed in mare profundissimum: & tempestas vehementissima ventorum, ac fluctuum demersit me. Per *multitudinem aquarum* intellige pœnas multas; per *linum profundum* peccata hominum; per *tempestatem*, causam efficientem passionis multiplicem, Decretum Dei, rabiem Judæorum, & maximè Christi amorem erga hominem.

ψ. 4. *Laboravi clamans, rauce facta sunt fauces mee: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.*

Iterum per simile loquitur: quia breves clamores in cruce non causarunt raucedinem nec legitur Christum defecisse aspiciendo, & expectando à Deo auxilium. Tanta fuit acerbitas, & prolixitas doloris mei, quanta in iis esse solet, qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur, & clamant: & quanta in iis esse solet, quorum oculi deficiunt aspiciendo in Cælum, & expectando opem à Deo.

ψ. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.*

ψ. 6. *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injustè; quæ non rapui, tunc exolvebam.*

In personâ Christi explicat allatas similitudines. Plurimi fuerunt, qui oderunt me sinè ullâ causâ: animo prævaluerunt inimici mei, & injustè coegerunt me *solvere, quæ non rapui*, pœnas dare sinè merito culpæ. Peccator raptor est gloriæ Divinæ, quam reddit, dum punitur.

✠. 7. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.*

Dat rationem, cur noluerit se ab injustâ persecutione liberare. Etsi mundus ignoret, tu tamen Deus scis, quæ sit *mea insipientia* &c. h. e. me pati ob insipientiam Adæ, qui seductori credidit similem Deo se futurum, & consecutam indè ex esu ligni vetiti inobedientiam.

✠. 8. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine Virtutum.*

✠. 9. *Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel.*

✠. 10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*

Orat, ne hæc ejus passio sit scandalum fidelibus, qui sperant in eo, & ejus auxilium quærunt. *Quoniam* &c. Ob gloriam tuam passus sum contumelias, irrisiones, sputa &c., quæ rubore vultum meum impleverunt. Vocat *Dominum virtutum*, h. e. exercituum, & ideo potentissimum; *Deum Israel*, h. e. amatorem & benevolam protectorem populi sui. Erubescencia, &

confusio, quam deprecatur, in eo erat, ne judicarent, frustra se sperare in Deo, si Filium ita negligit, ac deserit.

ψ. 11. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris mee.*

ψ. 12. *Quoniam zelus domus tua comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.*

Explicat in personâ Christi occasionem persecutionis Judæorum, quæ fuit, quòd Dominus reprehenderet mala eorum opera. Tanquam extraneum me reputaverunt fratres mei, Judæi: & velut alienigena habitus sum à filiis matris meæ Synagogæ: quia zelus domus Dei tum corporalis, h. e., templi, quod profanabant Judæi negotiationibus; tum spiritualis, h. e. congregationis fidelium, quam vitiis variis inquinabant, ipsum consumebat, dolore afficiebat, ut ideo Judæos gravissimè argueret, ut scil. eos emendaret; ipsi verò vicissim blasphemabant eum, imò miracula, quæ etiam erant opera Patris, calumniabantur, quas Patris injurias Filius libenter in se suscipiebat.

ψ. 13. *Et operui in jejuniis animam meam, & factum est in opprobrium mihi.*

ψ. 14. *Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam.*

Prior ψ. obscurissimus est; sed sensus vide-

tur esse hic : operui me, vel caput meum jejūnando, h. e. cum luctu in signum humilitatis, & pœnitentiæ jejunavi. At nullibi legitur, Christum publicè jejunasse, usum cilicio &c. ; deinde occultum ejus jejunium non cessit ei in opprobrium : quare hos ψ. ψ. cum S. Aug. accipe spiritualiter : per jejunium cum fletu intellige esuriam, & sitim ardentissimam salutis animarum, pro quâ angebatur, & gemebat : per cilicium intellige carnem passibilem, quâ Verbum indutum mundo apparuit, ut humilitate suâ mortales adduceret ad contemptum rerum transeuntium, & desiderium æternarum : & ideo factus est eis opprobrium, & in *parabolam*, seu irrisionem.

ψ. 15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.*

Palàm Principes, & Judices in portis urbis (ibi fiebant Judicia) de meâ morte consultabant ; etiam privatim in conviviis inter pocula de me cantabant ludentes, & irridentes.

ψ. 16. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.*

Illi mihi opprobriis insultabant ; ego verò orationem pro illis, & pro me tibi Deo Patri cum lacrimis offerebam, dicens : jam advenit tempus à te definitum, ut complaceat tibi me

ab his cruciatibus liberare, & mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare.

ψ. 17. *In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae.*

Quia venit tempus beneplaciti, petit exaudiri orationem tum ob multitudinem misericordiae, quâ promisit salutem per passionem Filii, tum propter fidelitatem in promissâ salute praestandâ.

ψ. 18. *Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.*

ψ. 19. *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.*

Non petit absolutè non pati, non mori; sed ne in passione, morte detineatur. Adhibet easdem metaphoras, quas ψ. 1. 2. & 3. Eripe me, ut non tam altè infigar, ut non emergam: libera me ab iniquis persecutoribus, de magnis tribulationibus, in quas illi me coniecerunt: non detinear in illâ immersione: non ita me absorbeat profundum, ut non emergam: non claudat puteus: in quem cecidi, os suum; aliàs nulla erit evadendi spes.

ψ. 20. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.*

ψ. 21. *Et ne avertas faciem tuam à puero*

tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.

ψ. 22. *Intende anima mea, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.*

Multiplicat verba orationis in personâ Christi patientis, ut ostendat magnitudinem passionis. Ob tres rationes petit exaudiri. Primò ob misericordiam Dei, quam benignam, suavem esse in tribulatione constituto experiebarur. Secundò *ne avertas &c.* ne me in his doloribus derelinquas, nam vehementissima patior. Tertio vitam meam ad extrema deductam libera celeri resurrectione, ut inimici mei, videntes se prævalere non posse, vel confundantur, vel convertantur.

ψ. 23. *Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam.*

ψ. 24. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum, & miseriam.*

Vocat ipsum Deum in testem passionis suæ, ejus præcipuè, quæ in ignominiâ consistit. Tu scis, quæ improperia in me jaceant adversarii; scis confusionem meam, quæ indè nascitur, & verecundiam, ex confusione oriri solitam. Sicut non te latet afflictio mea; ita nec latent, qui me affligunt; à quibus tantùm expectare possum improperium, & miseriam; sicut nec aliud hactenus expectavi.

ψ. 25. *Et sustinui, qui simul contristaretur,
 & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.*

ψ. 26. *Et dederunt in escam meam fel, &
 in siti mea potaverunt me aceto.*

Ait defuisse, qui cum Christo ob eandem cau-
 sam tristarentur ; piæ mulieres tristabantur ob
 mortem Christi temporalem ; Christus ob mor-
 tem, & cæcitatem spiritualem Judæorum, qui
 in medicum insaniebant. Deerat consolatio,
 quam quærebat, nempe conversio animarum.
 In passione multi perverti sunt, pauci, aut nulli
 conversi : Latro conversus, sed sub finem passi-
 onis : ceterùm Apostoli scandalum passi fuge-
 runt ; Petrus negavit, Judas desperavit. De
 felle *in escam* dato nullibi legitur : igitur fel
 intellige amaritudinem peccatorum, quæ Chri-
 sto in passione jejunanti, loco cibi ingesta est.
 De aceto impletum est ad literam.

ψ. 27. *Fiat mensa eorum coram ipsis in la-
 queum, & in retributiones, & in scandalum.*

ψ. 28. *Obscurentur oculi eorum, ne vide-
 ant, & dorsum eorum semper incurva.*

ψ. 29. *Effunde super eos iram tuam, & fu-
 ror ire tue comprehendat eos.*

ψ. 30. *Fiat habitatio eorum deserta, & in
 tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.*

Pœnas & spirituales ; & corporales, quas in
 Judæis manifestissimè cernimus, incipit David
 non

non tam imprecari, quàm prædicere. Per mensam intelligunt Patres lectionem Scripturarum, quæ est esca animarum fidelium.

Judæi legunt assidue Mosen, & Prophetas: sed hæc mensa fit eis in laqueum, quia perperam intelligentes, capiuntur laqueo infidelitatis, & in suâ incredulitate detinentur: & sic permisit Deus, ut illis *retribueretur*, quod merebantur. Eadem facta est eis in scandalum, quia lapidem angularem à Deo missum non agnoverunt; imò in eum impegerunt. *Obscurentur* &c. *incurva* &c. Hæc est radix malorum supra dictorum, quia, Deo permittente, depravatus est intellectus, *oculus interior*, & dorsum, sive affectus, ut nihil appetant, nisi terrena. *Effunde* &c. indicat cæcitatem eorum, & pravitatem, quæ est pœna spiritualis, ab irâ Dei proficisci, uti & pœnam corporalem, quia expulsi de terrâ promissionis, toto orbe exules, & profugi vagantur.

ψ. 31. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

ψ. 32. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam.*

ψ. 33. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

Dixerat antè, Judæos propter escam fellis Christo exhibitam, esse punitos, ut mensa eorum

rum fieret eis in laqueum : nunc ait, eos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata illorum, ut ipsi addiderunt Christo pœnas ad pœnas, & dolores ad dolores.

Tu percussisti me &c. hæc percussio fuit sine cooperatione Judæorum, nempe assumptio carnis passibilis ; indè secuta fames, sitis, frigoris perpeffio &c &c. ; addiderunt Judæi calumnias, vulnera &c. Et ideo tu juste Judex *appone* &c. non liberares eos à primâ iniquitate, sed sine, ut addant iniquitatem ad iniquitatem. *Et non intrent* &c. est explicatio prioris. *Deleantur* &c. Probabilior est sententia eorum, qui per *librum vitæ & justorum* intelligunt librum populi Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera justificatio contingit, quæ omnia Judæis modò non conveniunt.

ψ. 34. *Ego sum pauper, & dolens : salus tua Deus suscepit me.*

In personâ Christi jam tandem prædicat Christi gloriam, & Ecclesiæ ædificationem. Ego in cruce fui pauper, & dolens, nudus vestibus, coopertus plagis ; sed salus tua me resuscitans à mortuis, absterfit omnia mala, replevit omnibus bonis. Quid enim mali possit in eo hædere, quem ipsa salus complectitur, & undique suscipit ?

ψ. 35. *Laudate nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.*

Ego

Ego defunctus laboribus, & doloribus, in formâ hominis resuscitatus, & à te glorificatus, non cessabo laudare *nomen*, potentiam Dei cum lætitiâ, & gaudio. *Magnificabo* &c. idem repetit ad indicandum affectum.

ψ. 36. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas.*

Et *canticum meum*, sacrificium laudis in Cælo, Deo plus placebit, quàm immolatio vituli juvenis, *producentis* &c. h. e. perfecti, & validi; cujusmodi sacrificium in lege erat præstantissimum.

ψ. 37. *Videant pauperes, & latentur: quærite Deum, & vivet anima vestra.*

Laudationi admiscet exhortationem ad suâ similes, qui voluntariè magis, quàm necessitate sunt pauperes. O vos pauperes spiritu, qui terrena despicitis, tanto onere levati, erigite animum quærite Deum, & anima vestra, quæ ex rebus caducis vivere non potest, verè vivet.

ψ. 38. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.*

Cur bonum sit quærere Deum, ut vivamus, probat exemplo Patriarcharum, & Prophetarum, qui omnes spiritu pauperes, solùm Deum quæsierunt; hos exaudivit, & descensu suo ad Limbum liberavit, ac vivificavit.

ψ. 39. *Laudent illum Cali, & terra, mare, & omnia reptilia in eis.* G s Ob

Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur. Meminit propriè *reptilium*, quæ degunt in aquis ; non autem Angelorum, qui degunt in Cælis, & hominum, qui vivunt in terris, quia dubium esse non poterat, an hi ad laudem Dei excitarentur.

ψ. 40. *Quoniam Deus salvum faciet Sion, & ædificabuntur civitates Juda.*

Prædicatur ædificatio Ecclesiæ Christianæ post Christi Resurrectionem. Deus Ecclesiam suam primitivam, cætum illum Apostolorum, ac Discipulorum primorum, ex Judæis collectum, salvabit ab omni periculo, & persecutione in terris, & postea salvabit illam perfectâ salute in Cælis. Et propagabitur prima illa Ecclesia, dum multi lapides vivi accedent, & multæ Ecclesiæ toto orbe ædificabuntur, quæ dicuntur civitates Judæ, h. e. confessionis ; quia confessio veræ Fidei Ecclesiam ædificat, & propagat : *Juda* enim *Confessionem* significat.

ψ. 41. *Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.*

ψ. 42. *Et semen servorum ejus possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea.*

Hic prædicatur firmitas, & beatitudo Ecclesiæ. Civitates Judæ, h. e. cives civitatum Juda, h. e. veri iidem fideles, si permanserint in fide,

qua

*qua per dilectionem operatur Gal. 5. , inhabi-
tabunt quoque Sion Cælestem : etiam illi ex
posteritate fidelium permanenter habitabunt in
Ecclesia, & pervenient ad Cælestem Sion, qui
diligunt nomen ejus.*

PSALMUS LXIX.

Titulus : *In finem Psalmus David, in reme-
morationem, quòd salvum fecerit eum Do-
minus : Hebræus solùm legit : In finem Psalmus
David, in rememorationem ; cetera addiderunt
Septuaginta, explicandi gratiâ.*

*Argumentum est oratio Christi in cruce pro
salute suâ, seu celeri resurrectione corporis sui,
& pro salute populi sui, qui est corpus ejus my-
sticum. Dicitur etiam Psalmus compositus in
rememorationem salutis acceptæ, quia David
spiritu prophetico prævidit, & orationem Christi
pro salute fundendam, & salutem sinè dubio
secuturam.*

*ψ. 1. Deus in adjutorium meum intende :
Domine ad adjuvandum me festina.*

*Hic ψ. in Ecclesiâ Catholicâ celeberrimus est:
indè enim incipiunt Officia divina omnium
Horarum. Et licèt præcipuè conveniat Christo
in cruce ; potest tamen usurpari ab omnibus
fidelibus in periculo versantibus : & cùm mag-
na semper immineant pericula, assidua hujus ψ.
frequentatio suadetur.*

Peti-